UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 124. Renatus Andegavensis a Joanna Neapolis Regina hæres nuncupatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66426

Visual Library

Sæcul. XV.
A.C.1435.

§. CXXIV.

Renatus Andegavenſis a Joanna Neapolis Regina hæres nuncupatus.

Die ſecunda Februarii currentis anni obiit Joanna Neapolis & Siciliæ Regina, quinquaginta quinque annos nata multis ærumnis oppreſſa, variis fortunæ ludibriis jactata, ac licentioſæ vitæ nævis obnoxia, in quorum expiationem ſine ulla pompa, ignobili ſepultura in Eccleſia B. Virginis Annunciatæ terræ mandari voluit. Nulla vero poſt ſe prole relicta, Renatum Andegaviæ Ducem Hæredem teſtamento ſcripſit, conſtitutis interim ſexdecim Proceribus, qui, donec Burgundiæ Dux Renatum libertati reſtituiſſet, regnum adminiſtrarent. Eugenius autem Papa comperto Reginæ obitu, miſit confeſtim Neapolim, qui Proceres, populumque prohiberent; ne alium ſibi conſtituerent Regem, quam cui ipſe utpote Feudi Dominus coronam conceſſiſſet, ſimulque eis ſignificarent, quantocius a Papa Joannem Patriarcham Alexandrinum fore mittendum, ex quo plenius animi ſui ſenſus percipere poſſent. Sed reſponſum eſt a Neapolitanis, nolle ſe alium Regem agnoſcere, quam Renatum, quem miſſis illico ad Burgundiæ Ducem Legatis, liberum dimitti petierunt.

Summont. l. 4. in fine.

§. CXXV.